



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Articulus IV. Cui, & ex qua causa renuntiationes validè, ac licitè fiant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

ARTICULUS IV.

Cui, & ex qua causa renuntiationes valide, ac licite fiant?

2077. **A**D 1. R. beneficia Ecclesiastica resignari posse cuilibet, eorum capaci, seu habenti qualitates, jure requisitas, nimirum aetatem, morum gravitatem, litterarum scientiam, modò resignatio talis non sit aliàs specialiter vetita: si verò resignentur inhabili, resignationem non convalescere, Resignatario factò habili, sed opus esse novo consensu, & provisione: ad 2. autem R. ut resignatio valide fiat, requiri, quòd admittatur ab eo, qui jure potest, de quo *artic. seq.* ut licite, desiderari causam legitimam, ut coèrceatur, nimia libertas deserenda beneficia: magno Ecclesiæ detrimento.

Ad hoc not. 1. Episcopum, de Superioris consensu, valide, ac licite resignare, si una ex his *sex causis* concurrat: 1. conscientia alicujus gravis criminis; 2. magna corporis debilitas; 3. defectus scientiæ; 4. malitia plebis, quæ suum Episcopum nullo modo pati possit; 5. grave scandalum, quod vitari debet; & 6. irregularitas c. 1. & 10. h. t. Præter dictas *sex causas*, regulariter sufficit quæcunque alia causa utilis, & honesta, v. g. aëris intemperies, c. nisi, §. *fr. h. t.* vel capitales inimicitia in tali loco, c. *ad Supplicationem* 9. h. t. quamvis communis sententia velit, non esse assignandas alias, nisi eas *sex causas*; Sic Hostiensis in c. *nisi* §. *verùm V. alias causas*: non admittitur tamen facile resignatio Episcopi, ob *frugem melioris vitæ*, aut *causam humilitatis, otij, & quietis*, vel ob *internum instinctum* c. 2. de *translat. Episcoporum*, nec *causam vitæ contemplativæ*, cit. c. *nisi*, §. *nec putes*; nec *causam ingrediendi Religionem approbatam*, ut in ea securius propriæ saluti vacare possit, c. *nisi*, cit. & c. *suggestum*, 7. q. 1. intellige *regulariter*, & si Episcopus adhuc Ecclesiæ suæ prodesse possit; dixi. *facile*; sunt enim exempla non pauca, quibus Episcoporum, ardentè ambientium Religionis ingressum, resignatio admittitur probare potest.

2078. Not. 2. causas, quæ sufficiunt, ut quis impetret licentiam *renuntiandi Episcopatum*, etiam sufficere, ut ex illis inferiores renuntient suis dignitatibus, & beneficijs,

etiam curatis. Cæterùm, ut *extra Curiam Romanam* licentia renuntiandi pure, & simpliciter concedatur, & talis renuntiatio ab Ordinarijs locorum admittatur, sufficiunt etiam aliæ causæ; ut si beneficiatus sit senio confectus; 2. si ferè semper infirmus; 3. si corpore vitiatus, v. g. cæcus, claudus, surdus, mutus, &c. 4. si corpore impeditus; 5. si ob crimen aliquod deponendus; 6. si sine scandalo servire non possit; 7. si sit censuris irretitus; 8. si habeat plura beneficia, quorum unum, vel pauciora sustentationi sufficiant; 9. si transferatur ad aliud; 10. si Religionem sit ingressurus; 11. si habeat causam unam, ob quam Episcopus renuntiare potest &c. Sic Pius. V. *in Constit. edita Galend. Apr. 1568.*

Sed not. 5. ex his causis non admittendam ab Ordinarijs locorum eam resignationem, nisi positis duabus conditionibus; 1. nisi Clerico aliunde provisum sit, ut decenter vivat: 2. ne beneficia dimissa conferantur dimittentium *consanguineis, affinitibus*, vel *familiaribus*, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum Collationum; si secus fecerint, suspensi sunt à collatione, electione, confirmatione, & institutione beneficiorum, donec à Pontifice absolvantur. Sic Pius V. Vid. Azor p. 2. l. 2. c. 19. q. 5. Cæterùm hodie *in Curia Romana* renuntiationes beneficiorum inferiorum, maximè simplicium, etiam ex levioribus causis, admitti solent, v. g. cum quis multo tempore in una Ecclesia servivit; vel, ut beneficium dimissum alteri conferatur, in cujus gratiam beneficium dimittit; sic Azor cit. q. 4.

ARTICULUS V.

Quis jure valeat renuntiationes beneficiorummittere?

2080. **A**Nteresolut. not. 1. Clericum beneficiatum, sine consensu Episcopi, non posse suum beneficium dimittere, c. *non oportet*. 7. q. 1. ibi: *non oportet Episcopum vel reliquos ordines, de civitate ad civitatem migrare: non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus transeat*; si quis autem, post definitionem, sancti, & magni Concilij, tale quid agere tentaverit, & de hujusmodi negotio mancipaverit, *hoc factum prorsus in irritum ducatur*, & Ecclesiæ restituatur, cujus fuit Episcopus, aut Presbyter,